

Dum nos ubiquitatis accusant, produnt se doctrinam ecclesiae nostrae in F. C. expositam ne primis quidem labris degustavisse.

§. XI.

In eodem Articulo de Filio DEI dum versamur, & recte nos credere, tum Scripturae S. tum ipsorum adversariorum testimoniiis, gaudemus, audacter tamen porro ARRIANISMUS & TRITHEISMUS & SERVETIANISMUS a Pontificiis nobis imputatur. Audiatur Bellarminus : *Arriani docebant, Filium DEI esse Patre minorem, deinde iidem non recipiebant ullo modo traditiones non scriptas. Primum errorum Arrianorum aperte docent hoc tempore multi, qui Tritheitae dicuntur, ut agnosci potest ex Prothesibus Valentini Gentilis. Quamvis autem Lutherus, Philippus, Calvinus & similes habeant Arium pro haeretico, tamen negare non possunt, quia in suis scriptis hujus erroris semina jecerunt, unde postea orti isti novi Arriani, quos ipsimet impugnant, ut nos demonstravimus in praefatione librorum de Christo. Deinde alterum errorum docent omnes hujus temporis haeretici. I. c. Reliqui sua causa responderunt ad has accusationes. Nos triumphamus nostra innocentia, & tot praeterea praeliis adversus Arrianos veteres & novos a nostra ecclesia depugnatum fuisse gaudemus, quot libros a nostratibus editos fuisse constat, ita ut convitum, quo doctrinam nostram de Filio DEI feriunt, adversarii, non alia refutatione egeat, quam ut ad illa scripta adversus pestilentem illam sectam elucubrata ablegentur. Imo fatentem habemus Bellarminum ac testem, nos Arrianos pro haereticis agnoscere. Et nihilominus ad probacionem se accingit, & quod Lutherus quoque in suis scriptis hujus erroris semina jecerit, unde novi Arriani orti fuerint, demonstravisse se alibi pronunciat. Verum conferamus*

C

quae